



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXCVI. Ioannis Papae VIII. Ad Adalbertvm Episcopvm
Mavriennae. Iubet vt Romam veniat cum episcopo Gratianopolitano, quem
ignominiose tractarat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

aduersus eundem episcopum a nobis consecratum aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo iuuante, libramine diffinire. Ceterum Adalberto Mauriennensis ecclesiæ episcopo auctoritatis nostræ literas, quas ei a vobis dari mandamus, ecce transmisiimus, vt cum Bernario Gratianopolitanæ sedis episcopo eodem VIII. Kalendas Octobris Romam occurrat: quatenus de his, quæ ei irreuerenter tam temerario ausu sui ordinis immemor intulit, coram nobis plenissimam satisfactionem exhibeat.

EPISTOLA CCXCVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ADALBERTVM EPISCOPVM MAURIENNÆ.

Iubet vt Romam veniat cum episcopo Gratianopolitano, quem ignominiose tractarat.

Adalberto Mauriennensi episcopo.

TRISTIS nos nuntius perculit, quando audiimus, quod tu ordinis tui immemor Bernarium Gratianopolitanæ sedis episcopum, hora matutinali in ecclesia sua publice agentem officium, cum multitudine populi, & armata manu, absque reuerentia ecclesiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreuerenter tecum abstuleris, & ignominiose tractaueris. quod tantum nobis displicuit, quantum te temere egisse modis omnibus comprobamus. Ideoque nostri apostolatus literis tibi mandamus, vt omni excusatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indiçtionis, cum eodem Bernario venerabili episcopo Romam ad Synodum nostram occurras: vt quidquid inter vos litigii est exortum, nos æquitatis regula potiti, Deo iuuante, discutere & diffinire aliquomodo studeamus.